VENANTII HONORII CLEMENTIANI. FORTVNATI. PRESBYTERI

Expositiones Orationis Domini & Symbuli

IOSEPHI. CASTALIONIS ANCONITANI. CIVIS FANENSIS

Opera & industria nunc primum casti-gatae, atq. editae.



DE. LICENTIA. SVPERIORVM.

ROMAE, Apud heredes Antonij Bladij, Impressores Camerales. M D L X X I X.

TH. THEODOLVS. CAECILIANI
COMES. EPISCOPI
GADICENSIS. HERES
AD. CARDINALEM. MORONVM

Aureus in tenebris quamplurima saecla libellus
Qui fuit, in lucem Castalio reuocat.
Et Morone tibi pater Illustrissime donat,
Quem legat haec aetas, atque alia, atque alia.

IOHANNES. THEODOLVS
Hieronymi Theodoli Episcopi Gadicensis
Fratris nepos annum agens
Vndecimum.

Quid Christi cultor semper teneatque, rogetque
Haec Fortunati scripta diserta docent.
Quae nunc Castalio primum castigat, & edit,
Qui Fortunato cetera restituet.

ILLVSTRISSIMO
ET. REVERENDISSIMO D. IOHANNI. CARDINALI MORONO

Domino ſuo quam obſeruandiſsimo
Ioſephus Caſtalio ſalutem.

F*ACTVRVS operae pretium mihi videbar, ſi quae Fortunati ſcripta numquam impreſſa ex codice vetuſtiſsimo ipſe deſcripſeram, emendaſſem, atque aliquãdo in publicum emiſiſſem. Nam & antiquitatis chriſtianae, & latinae linguae ad interitum vergentis multa in hoc auctore apparent veſtigia. Cum verò ad hoc meum conſilium & grauis, & frequens doctiſſimorum hominum, quorum opera*

in expurgando Fortunato ſum adiutus, accederet adhortatio; tanta vetuſtatis catholicae monumenta catholicis viris debere diutius non potui. Itaque initium ab expoſitionibus orationis dominicæ, & Symbuli apoſtolorum duxi, quae ſingulari pietate, doctrinaque refertae ſunt, dignae propterea, quae tibi, Morone Cardinalis ampliſsime, dicarentur. Me verò multa adduxerũt, quamobrem tibi hũc libellum dedicarem. Primum ſingularis in te mea obſeruantia, deinde quod tutor, & patronus es optimus Theodoli Caeciliani Comitis ornatiſsimi, ſummaq. ſpe praediti adoleſcentis, quem ego litterarum ſtudijs erudiẽdum ſuſcepi. Ex illius enim domo quidquid proficiſcitur, in tuae ſpem gratiae emit-

tendum

tendum est. Deinde quod praeter generis ordinisque claritatem, virutis catholicaeq. fidei laudibus praestas. Atque hic sanè locus me posset admonere, vt laudes tuas attingerem, nisi de te apud te dicerèm. Illud certè etiã atque etiam rogo, vt cum his Fortunati opusculis, me quoque satis superque fortunatum, si quidem hoc adsequar, in fidem, et clientelam tuã recipias, cum alia aliorum, tum reliqua eiusdem auctoris corrigentem interim ac describentem, quae multo quam vmquam antea castigatius, locupletiusque vulgabuntur. Vale. Dat. Romae. iv. Nonás Nouembris. M. D. LXXIX.

Le-

LECTORI

Ne cui titulus, qui in vaticano codice ſic legitur, Fortunati preſbyteri Italici, anſam praebeat cōminiſcendi Fortunatum in Hiſpania non autem in Italia natū, collegi loca quaedā ex eius ſcriptis, quibus confirmem Fortunatū noſtrū eſſe italum, non Hiſpanum, neque in Italica Hiſpaniae vrbe natum vnde Silius Italicus nuncupatus, libro primo epiſtula ad Gregorium Papam Turonen. Praeſertim quod ego imperitus de Rauenna progrediens, Padum Atheſim tranans. Et Paulo poſt, Vbi inter barbaros longo tractu gradiens. Quod Rauenna, quod Barbaros dixit Italum ſe, non Hiſpanum ſignificat. Et libro ſexto.

Partibus Italiae aduecto mihi Rhenus & Iſter.

Parti-

Hinc ſimul Hilarium, Martinum Gallia mittit,
Te quoque Laurenti Roma beata mihi.
Felicem meritis Vincentia lacta refudit,
Et Fortunatum fert Aquileia ſuum.
Vitalem ac reliquos, quos cara Rauenna ſepultat,
Geruaſium, Ambroſium Mediolana meum.

Quibus apparet Italum eſſe, qui Rauennam caram Ambroſium ſuum, & Laurentium dicat Illud autem adnotandum, alium eſſe Fortunatum Aquileiae religioſe cultum. Eodem quoque libro apertius ad Lupum Ducem.

Vnde meis meritis datur hoc vt protinus eſſet
Spes Fortunati cura benigna Lupi,
Exul ab Italia nono puto voluor in anno
Litoris Oceani continuante ſale.
Quid autem expreſſius ſequentibus.
Poſt Italas terras mittis mihi Rhene parentes

Et libro octauo de nomine ſuo.

Fortunatus ego hic humili prece, voce ſaluto,
Italia genitum Gallica rura tenent.

Accedit eo quod peruetus codex, cuius mihi copiã fecit elegantiſſimus vir Antonius Maria Gratianus Cardinalis Commendoni à ſecretis, non habet Italicum. Quod numquã literis mandaſſem, niſi bene doctos eſſe homines animaduertiſſem, qui Hiſpanis Fortuuatum adiudicent, quod Itali mentio in vaticano codice fiat.

Libet etiam ex Trithemio de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ut ceteros omittam, quaedam ad Fortunati patriam uitamque indicandam adſcribere. Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis natione Italus, vir in diuinis ſcripturis doctus, & in ſaecularibus litteris erudiiiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, & nitidus, carmine & proſa excellens, inter ſuos ſuae aetatis doctores non minus ſanctitate conuerſationis, quam ſcientia eruditionis clarus effulſit. Hic virtute ſancti Martini a dolore oculorum liberatus, pro agenda gratiarum actione Turonis ad eius ſepulchrum uenit, & Pictauis progreſſus primo preſbyter, deinde Epiſcopus ibidem ordinatus magna doctrina & religione claruit, ſub Iuſtino iuniore Auguſto, anno Domini D L X X. haec ille.

VENANTII. HONORII CLEMENTIANI. FORTVNATI. PRESBYTERI

Expositio Orationis Domini.

TANTA pietatis profundae misericordia, filij dilectissimi, circa genus humanum nostri patuit saluatoris, qua nos ereptos de concatenis mūdi naufragijs ad portum perpetuae detulit libertatis, ut nec uerbis exsequi, nec lingua patefieri, neq. ipsa ualeat cogitatio ne.* pulsari. Cui parum uidebatur de limo, quod condidit, quod cruore redemit, quod Baptismo renouauit, nisi ad salutis cumulum mentem nostram, ne lapsum ignoranter incurreret, instrueret etiam qualiter exoraret, nisi nos docuisset quemadmodū deberemus iustas uoti preces offerre. Essemus aut certe temerarij, aut erroris nube confusi, & nesciēdo quæ petere * magis admitteremus peccatum potius, quam deleremus admissum. Et unde spectabamus posse uenire suffragium, ui

* Forte pensari

* Forte peterem

Forte e spectabamus.

deremus incurrere detrimentum. Cum de oratione incondita fieret periculi plus causa, quam uoti. Inde retinentes eius mysteria, & quam multa sint in breuitate conlata propter aedificationem ecclesiae paucis debemus explicare, quia tunc nobis melius placebunt auditu, cum patuerint intellectu. Itaq. ad ipsum ueniamus sanctae orationis sermonem.

Forte audita intellecta.

Pater noster qui es in caelis.

Ecce uox domini praedicantis de quo propheta dicit. Nubes pluant iustum, arcanae scientiae lumen effudit, & ut in rauco aridita tem sermonis imbre reficeret, uelut fons aquae salientis erupit. Quis enim tantum secretum mysterij caelestis hominibus reuelaret, aut hoc docere uel praesumeret, uel sciret? Numquid Abraham, Moyses propheta, uel angelus, nisi unigenitus, cui soli maiestatis plenitudine pater est notus? Nam reliqui tantum meruerunt de Deo in terra cognoscere, quantum ipse de caelo uoluit ministrare. Filius enim in quo pater est totus unitate substantiæ, non confusione personæ, subiectum habebat hoc nosse non alterius munere, sed potestate naturae. Ergo dicendo patrem esse nostrum in caelis, peregrinationem nobis significat, dum sumus in terris, iuxta illud, In-

cola sum ego in terra. Vnde uidetur instruere, ut ad excelsa iugiter animum eleuantes eodem tribuente festinemus peragere, quo nos in aeternae uitae beatitudinem placato patre, Christo duce faciant introire, & promissa praemia filij ualeant obtinere. Vnde audito Deo patre nullus tam crudelis sit filius, ut nō festinet ad ueri genitoris amplexus. Item cōgrue, pater noster, quia homo renascendo per Baptismum effectus est Dei filius, qui per praeuaricationem factus fuerat inimicus, & perditus. Ergo cuius gratia fruitur, iam patrem libere confitetur. Sed licet non simus Deo patri sic filij quomodo persona domini nostri Iesu Christi, quia ille de ipsius natus est substantia, nos autem dignatus est creare de terra: attamen per gratiam unigeniti nos effici meruimus adoptiui. Et ideo qui in ecclesia catholica ex aqua, & spiritu sancto nascitur, inter Dei filios computatur. Item pater noster, qui es in caelis, in hac confessione & Deum ueneramur, & mandata sequimur, & fidem nostram exponimus, & eos qui patrē in caelis denegant, refutamus. Item dicendo, pater noster, habemus quod in ipso diligere agnoscendo Deum; habemus pariter quod timere: timeamus ergo quod iustus est, amemus quod pius est, ne quod ille sollicite con-

Deus quomodo pater noster

tulit, nos uelimus perdere neglegenter, & diuina beneficia nostro sint excessu calcata. Qui ergo patrem illum appellat sicut decet filium, sic uitam suam inmaculate dispenset, quia ipse est filius, qui non contribulat genitorem, non exasperat coheredem, fratris caritatem non uiolat, testamentum conditoris non dissipat, sequitur monita, festinat implere mandata. quod si recalcitrauerit proiectus contumaciter de possessione discedit, nec aliqua iam fronte hereditatem repetit, quem admissi culpa damnauit. Vnde quia deum patrẽ conuenimus, Christi fratres dicimur, si in peccati crimine non uersemur, nam amittit nomen filij qui fuerit seruus peccati. Quod autem non singulariter, pater meus, sed pater noster dicimus, ad hoc pertinere cognoscitur, ut nullus pro se tantum, sed generaliter omnibus misericordem dominum deprecetur, quatenus ab hoste perfido cuncti pariter liberentur, omnes enim, qui in ecclesia conueniunt, eodem se muro concludunt, quoniam etsi multa membra sunt, tamen in uno corpore Christi continentur. Et ideo qui simul iunguntur in templo, separari non debent in uoto. Nam sicut in membris nostris respici- Simile.
m⁹ qualiter humerus humero, manus manui pes pedibus subueniunt, ita congruum credi-

ditur, monitis, orationibus, lacrimis nobis ipsis a nobis inuicem succurratur propter illud. Inuicem onera uestra portantes. Deniq. frequenter alter pro alterius crimine confidenter obtinet, qui pro se suggerere confunditur ex pudore, quia in suo facinore uerecundia nil praesumit. Ergo unusquisque supplicet pro omnibus in commune, quoniam sicut in se diuisa domus non stabit; sic unita ruinae non subiacet. Et bene auctor pacis dominus sic docuit, ut quidquid unus peteret, omnibus uideretur proficere. Bene pater noster additur, quia nisi quis recte credat in Christo, nō potest habere patrem in caelo. Non est enim ipse pater Arriano, Iudaeo, Photino, Manichaeo, Sabellio, & reliquis pestibus ueneno praui cordis infectis, & pessimae confessionis falce succisis, qui de filio quam iniuste, a Deo patre nostro recisi sunt ex patre suo diabulo. Et ideo nobis pater in caelis est, qui recte filium confitemur in caelis.

Cui de[us] sit Pater

Sanctificetur nomen tuum.

Vigilanter considerandum est, quid in hoc vocabulo admonitio diuina significet dicēdo, sanctificetur nomen tuum. Numquid inuenitur superior, a quo Deus pater ualeat sanctificari, quasi ut nos uideamur aliquid illi orā

do

do praestare, cum magis ipsecuncta sanctificet: Sed sanctificetur, id est benedicatur nomen tuum incessanter omnibus linguis, in uniuersis locis; cuius dona sunt hoc ipsum quod respiramns, & uiuimus. Sanctificetur nomen tuum. Deus cum sit omnium elementorum concentu laudandus, & sanctus, ut in nobis nomen eius sanctificetur, idest firmiter teneatur optamus; & in ea, qua nos abluit Baptismi sanctitate uiuamus. Ergo in hoc tēpore non nouam sanctificationem requirimus, sed quam incontaminatam percepimus, ut sine uitii macula conseruemus. Nam in homine fructus bonae conuersationis, sanctificatio Dei est. Hoc quoque ordine nomen eius recte sanctificari dicimus, ut si quis dono diuinitatis uitam uideat nobis esse sinceram, gratias largitori referat, & in nostris operibus sanctum nomen eius extollat. Quoniam recte omnis laus illi redditur, a quo uota complentur. Item sanctificetur nomen tuum, quia ipsa oratione continetur expressum in nobis sanctificetur nomen tuum, uidemur nō tantummodo pro nobis optare, ut sanctificetur nomen eius, sed & pro illis, qui nec dum ad Baptismi meruerunt gratiam peruenire. Nam in Christo plenissima caritate docemur etiam pro inimicis orare, quia & ipse non

[margin: ctifica Dei id.]

amicos,

amicos, & fideles; sed aduersarios suos, & culpabiles de mortis carcere liberauit.

Adueniat regnum tuum.

Dubitari non licet dominum Deum semper hic ,et ubiq. regnare, nec aliquãdo de regni sorte Sanctam Trinitatem sumpsisse principium, nec habere finem claudendum reuera, cum apud Deum stabilitate suá tempora non mutẽtur, cuius nec sol occidit, neq. nox in *uoce succedit ,sed cum dicimus, adueniat regnum tuum, non ut illi aliunde obueniat idem, ut ei regnũ praestetur a superiore persona, sed nobis scilicet, ut illud adueniat quod per mediatorem Christum poscimus ré promissum, ut cum illo regnemus liberi, qui in mundo seruiuimus; ipse enim postulauit à patre dicens, Pater ubi ego sum, & isti sint mecũ & alibi. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Deniq. ob hoc euacuauit tartaros,ut repleret caelos. Ergo hac ratione precamur, ut regnum eius adueniat, non ipse quod possidet,hoc adquirat,sed quod est nobis pollicitus, ut persoluat. Potest & sic intellegi, adueniat regnum tuum,idest ueniat in corde nostrò regni tui sincerum desiderium,ut posśimus diabuli uincere blandimenta. tunc enim in nobis serpentina falsitate subdolus

*Forte uicem.

Io. 17.
Matth.13

dolus

dolus hostis non praeualet, quando nos constanter respexerit diuini regni desideria concepisse, idest regnante Christo non possit in nostris corporibus regnare peccatum. Item dum dicimus, adueniat regnum tuum, admonemur, ut nihil de terreni regni diuitiis expectemus, qui omnem spem in futuri regni plãtamus. Item adueniat regnum tuum, agnoscitur his uerbis eas increpare personas, quae saeculi istam uitam diutius uolunt protrahere, cum omnes iusti regnum illud, ut festinanter ueniat, uidentur optare. Vel certe, adueniat regnum tuum, hoc est Christus nobis adueniat quem quotidie sanctorum chorus ueneranter exspectat, in cuius promissione se confidunt iusti regnare, de cuius aduentu Apostulus dicit, Tũc rapiemur simul in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus. sed uideamus qui rapiẽtur in nubibus cum Beato Paulo. Numquid homicidę, luxuriosi, fallaces, ebriosi, adulteri, rapaces, maledici? Tales enim nisi correcti fuerint, non solum, quia non possunt in illo itinere participari cum Sancto Apostulo, cuius modo monita non sequuntur, aut occurrere Christo, uel paterna regna cõscẽdere immo magis si se a facie domini in fissuris petrarum ualerent abscondere, super se cadere

re tunc montes optarent. Ergo aduertamus, quibus illud regnum promittitur. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum caelorum. In principio beatitudinum humiles corde praepoſuit, ac per hoc excluſit ſuperbos, & tumidos, ubi dicit pauperes ſpiritu regnaturos. Deinde beati mites, beati qui lugent, beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiã, beati miſericordes, beati pacifici, beati mundo corde, & reliqui. Ecce illi inuitantur ad aeternam requiem, qui tali deſudauerint temporaliter in labore, uere hoc eſt indeficienter regnare, coronam beatitudinis iſtis ornatã floribus poſſidere, Deum ſine confuſione mereri conſpicere, quo præſente inueniet anima quod amauit. Nam ſi in hoc ſaeculo dicit ſe ad praeſens humana regnare fragilitas, & paupertas, ſi quaedam illi blandiatur de falſa proſperitate fugitiua felicitas, quanto magis illud regnum quaerendum eſt, ubi ſemper liliorum, roſarumq. blandior luxus adridet, ubi pictura floris odoriferi non marceſcit, ubi loci fecunditas neque nube premitur, neque ſole ſiccatur, ubi non finitur cum poſſeſſore poſſeſſio, ubi quidquid deſiderat animus, dat aſpectus, ubi iuſtus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges non habent in coronis, ubi mortalitas translata in inmortalitate,

Regnum Dei quibus promittitur. Matth. 5. Luc. 6.

Regni caeleſtis deliciae quae.

cum angelis ſorte ſimili gloriatur, ubi hominibus, & Deo ſit una poſſeſſio. Ibi deſideretur conſortium, ubi tanta felicitate gratia poſſidetur.

Fiat uoluntas tua ſicut in caelo, & in terra.

Quid eſt quod ſic petitur, ut fiat uoluntas Dei? Numquid aliquis potuit eius reſiſtere uoluntati, ut nō faceret aliquando quod uoluit omnipotens? Ergo non quia illum poteſt aliquid impedire, ſed ut in nobis impleatur eius uoluntas, operetur quo modo aduerſario reſiſtente nos uoluntatem eius implere non poſſumus, niſi ipſius patrocinio muniamur.

Volun-[tas] Dei [q]uid. Si uero quaeritur quae ſit Dei uoluntas, habes domini praecepta, quæ per Moyſem De ſunt uoluntate uulgata: habes Dei filium, quii patris uoluntatem ſciens quae erant abſcondita reſerauit, & quae obumbrabantur in luce transfudit, itaq. uoluntate Dei agnita excuſatio non erit ſuccurſura. Nam qui de caelo deſcendit ad terras, quid aliud ſuae uoluntatis eſſe uult credi, niſi ſalua* redemptione in nos daret caritatis, & humilitatis ornamēta, ſecuri quomodo & ipſe hoc dignatus eſt facere ea caritate nimia, humilitate ſincera? Deinde qui templum ſibi elegit in uirgine,

*Forte [s]ancta, vel [s]ua.

quid

quid docet, nisi dona pudicitiae custodire? Qui iustitiam coluit, dolum in ore non habuit, misericordiam praebuit, culpas indulgentia laxauit, mundo corde semper incessit, quid aliud, nisi quod nos post sua uestigia uer bis traheret, & exemplis? Ideoq. orandum est, ut si perire nolumus, ipsius uoluntas operetur in nobis iuxta apostulum dicentem, Qui in nobis operatur & uelle, & operari pro bo na uolũtate. Sic alibi dominus noster locutus est, Non uos me elegistis, sed ego elegi uos: alioquin Christum inuenit Beatus Paulus, & uoluntatem habebat ad Christum, reuera cu ius per ecclesias populũ deuastabat. Sed quan do redemptor dignatus est in persecutore suo magis pius esse, quam iustus, ut ad melio ra accederet, eum per caecitatis amaritudinem castigauit, & corporale lumen obduxit, ut ei spiritales oculos aperiret, de quo dixit, Ego illi ostendam quanta eum pro me pati oportet. Vnde ipsam bonam uoluntatem pie tas Christi contulit, non fragilitas humana possedit. Audiamus ipsum dominum Iesum Christum in infirmitate carnis positum quid dixerit. Pater si possibile est, transeat a me ca lix iste. Verumtamen non sicut ego uolo, sed sicut tu Pater. Et homo quare tam superbus sit, ut uoluntatem sibi ex se esse dicat ad bo-

Phil. 2.
Iohan. 1
Act. 9.
Pauli Conuersio-
Act. 9.
Matth.
Luc.
Marc.

 num,

num, & non potius Dei munus esse testetur? Quod si bona uoluntas ex homine est sine Dei inspiratione, dicat ergo Christianus in oratione, fiat uoluntas mea, quo modo bona est. Sed absit, ut hoc aliquis confiteri praesumat, immo magis deprecetur, ut fiat uoluntas Dei in homine, non hominis uoluntas, quae bonum uelle nõ habet, nisi dominus inspiret, iuxta illud, Deus meus misericordia eius prae-
58. ueniet me. Ergo non hominis uoluntas praeuenit dominũ, sed domini misericordia praeuenit hominis uoluntatem, quo modo scri-
an. 3. ptum est, Deus est, qui iustificat impiũ. Item, Spiritus ubi uult spirat. Igitur quare non unusquisq. recognoscit tenebras suas, ne inlu-
imile. minatus tamquam lampas, quae aliunde succenditur, per uentositatem suae superbiae extinguatur, & subducto splendore maneat in caecitatis caligine; dum si quid bonum uelle
a. habet, sui putet esse arbitrij, & non exinde gra-
th. 13. tias referat conlatori? ne audias quod dici-
c. 4. tur, Qui autẽ nõ habet, & quod habet aufere-
8. tur ab eo, hoc est quod per gratiam praeueni-
tur, nisi Deo illud adscripserit, per superbiam hoc amittit. Quomodo iuxta scripturam ipsa uoluntas a domino praeparatur? Audia-
an. 8. mus doctorẽ in hac parte, ubi dixit, Qui loquitur mẽdacium, de suo loquitur. Quare nõ

addidit

addidit, & qui loquitur ueritatem, de ſuo loquitur, niſi ut hoc exemplo quando ueritatē aliquis loquitur, de Dei gratia, non de ſuo habuiſſe hoc bonum ſpecialiter agnoſcatur, quomodo de noſtro ſolum habemus mendacium? Nam cum ipſa ueritas Deus ſit, unde in homine mendace cauſa ueritatis erit, niſi ipſa ueritas ſe miniſtret, hoc eſt niſi in hominem ipſam bonam uolūtatem Deus ueritatis inſpiret, qui & uelle tribuit, & poſſe compleuit? Sed ſi quis obijiciat quod Apoſtulus ait, Rom. 7.
Velle quod adiacet mihi, cur ipſe dicit, Deus, Phil. 2.
qui in uobis operatur & uelle, & operari pro bona uolūtate. Ergo ſi quis dicat quia ipſam uoluntatem? Deus non inſpirat; quantum ad hanc intellegentiam beatus Apoſtulus diſcrepat miſcendo diuerſa. Sed abſit, ut ille uir pacificus, qui uno, eodemq. locutus eſt ſpiritu in his dictis eccleſiae generaſſet ſcandalum. Vnde doctor gentium uelle ſibi adiacere dicebat, quoniam non ſolum inſpiratus, ſed etiā uas electionis fulgebat, qui docuit dicens, 1. ad cor.
Deus eſt, qui operatur in nobis & uelle. Deinde, Quid habes, quod non accepiſti? ac ſi diceret, quid boni eſt in te, niſi det ille qui fecit te? Nam ſi bonam uoluntatem Deus non cōfert, ſed ex te eſt, quod tu habes, iſte mentitus eſt qui dixit, Quid eſt, quod habes, quod nō accepiſti?

accepisti? Vnde tolle Dei uoluntatem, mox agnosco si tu per te ad bonum habes aliquam uoluntatem cum nisi a Christo, uelut lucerna inlumineris cotidie nesciendo, quid elegerit diuina potestas, excedis. Dicamus humiliter, quia nihil boni vel habemus singulis diebus, nisi domino largiente sumamus, iuxta
Iac 1. quod legitur, Omne datum optimum, & omne bonū perfectum desursum est, ut Domni Pauli teneant dicta concordiam, & nos omne bonum ad Dei referentes gratiam, fidelē cōsequamur doctrinam. Nam quicumq; Apostulo Paulo idest oculo ecclesiae, & cum Beato Augustino eius sequace consonat, in eo
Matth. 7. ignorantiae caligo non regnat. Quod autem de duabus uijs idest spatiosa, & angusta dicitur, ut quis per quam elegerit gradiatur, quid est, per spatiosam laxatis frenis libere discurimus famulando peccatis, in angusta uero cōsideremus apostulum dicentem. Vocatione, qua uocati estis per dominum Iesum Christum. Et ideo non elegit aliquis, neq. ad uiam peruenit, nisi uocatus fuerit ab ipso qui uia
Iohan. 14. est, & uita, & ueritas. Sed in hac uia cum Apostuli uerbis, & praeceptis euangelicis excurramus dicentes ad eos qui iam ex Iudaeis
Iohan. 8. in Christo erant fide conuersi, Si uos filius liberauerit, tūc liberi eritis, vel quando sit istud,

attendite

attendite ipso domino praedicante, Si manseritis in uerbo meo, uere discipuli mei estis; & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos: ac per hoc hortatur, ut sequendo illud, quod dedit per gratiam, nos ad ueram liberationem perducat. Vnde tunc homo in bonũ perfecte, libere possidebit arbitrium, quando omnino non poterit seruire peccato. Item fiat uoluntas tua sicut in caelo, & in terra, idest sicut in caelis angeli, ita homines uenerentur in terris. Et quemadmodum illi concordia inculpabili, caritate deuoti, in laude Dei uidentur iugiter inherere, ita nos in suo timore, & amore iubeat sine labe purgare. Item fiat uoluntas tua, idest sicut spiritus de caelis caelestia cogitat, ita caro, quae de terra est, terrena non cupiat, sed quae sanctus Spiritus habet: intendat, & quasi facta concordia pariter ad caelos ascendat. Ergo sicut in caelo, idest in spiritu, ita in terra, idest in carne fiat Dei uoluntas, ut iam post aduentum Christi, non caro, quae mater est criminis, spiritũ festinet, sicut * & sua, decipere. Sed Adam, qui est in typo spiritus, carnem habeat famulantem: nec dominus ancillae, sed ancilla seruiat dominanti. Sicut in caelo, & in terra. Homo ante Baptismum carnalis esse describitur, post Baptismum spiritalis efficitur Deo, qui pro illis

Iohan. 8.

* Forte est suum.

illis, qui adhuc sine lauacro loti sunt, a nobis oratur, ut sicut nos uidemur facti esse caelestes per baptismũ, & illi, qui adhuc ab ecclesia peregrini sunt, tanto beneficio non fraudẽtur, sed per munificentiam domini nobiscum dona simul consequantur: quia & cum illi cõsortes fuerint facti, nos facultatem non amittemus, sed augebimus. Quare autem sit inuidia, ut homo oret pro homine, cum Christus, ut nos adquireret, suo sanguini non pepercit? Item fiat uoluntas tua. Voluntas patris erat, quod filius praedicatur, quod operatus est,
Iohan.4. quod passus est, mortuus est, & resurrexit, sicut ipse filius ait, Non ueni uoluntatem meam facere, sed uoluntatem eius, qui misit me patris. Ergo orandum est, ut nos similiter mereamur ducere, agere, sustinere, & in ipso resurgere, ut possimus cum ipso regnare. Itẽ fiat uoluntas tua. Deus incommutabiliter bonus quid aliud, nisi semper uult bonum, quãuis nos moles impediat peccatorum? Ergo bene uidemur optare, ut nobis ea contingant, quae Deus uult, cum Sciamus illum bonae uoluntatis haberi.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.

Considerandum est quam mirabiliter orationis

nis huius ornatus sit textus, vt nominatis aeternis temporalia peterentur. Nam tria ista, quae poscimus, idest sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua, propter aeterna cōsequēda, hic sunt necessaria, & hic incipiūt. Sed perfecta in futura uita possideri credēda sunt, & ꝑpetua permanebunt. Ergo panem nostrum da nobis quantus animae, & carni est necessarius spiritaliter, vel corporaliter ad praesentem uitae oportunitatem pertinere uidetur. deniq. nominis eius sanctificatio, & regnum eius in spiritu, & corpore nostro post resurrectionē perfecte manebunt. Item panem nostrum quisquis ad ueram salutē peruenire meruit, Christum esse panem uitae perpetuae non ignoret, qui dicit, Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. Vnde iste panis non est communis cum reliquo, quia ille corpora protegit, iste nouit animas enutrire: & qui illum manducat, esurit, qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur, & ideo tanto magis iste cibus quaerendus est, quanto plus reficit epulatus. Quod uero cotidianum panem petimus, hoc insinuare uidetur, ut cōmunionem eius corporis, si est possibile, omnibus diebus reuerenter sumamus, quia cum ipse uita nostra sit, nutrimento nostro

Iohan. 6.

Sacra Cōmunio frequentēda.

peregrinos nos facimus, si ad euchariſtiam tardi accedamus. Itē cum dicimus panē noſtrū da nobis hodie, cognoſcimus nō nobis ſufficere, quod praeterito die rogauimus, cui in praeſenti oratione uacemus, propter illud. Sine intermiſſione orandum. Siue ſic,
1. Thes. 5. aduertendum eſt, quod poſtquam ad Chriſtum peruenimus, mundum cum pompis ſuis reiecimus, non nobis neceſſe ſit eſcam amplius, quam cotidianus uſus exigit, ut quaeramus, reuera, cum aduentum domini iugiter exſpectemus. Nam impedimenta mundi faciunt homines miſeros, & non ſinunt panem ſufficere, cui Deus non deficit, qui Eliae habitāti in eremo miniſtrauit.

Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

Bene poſt eſcam quaeſitam poſtulatur uenia peccatorum, ut qui Dei cibo paſcitur, Deo uiuat, & ſic dimittantur peccata, & congrue, ne ſe humana extollat ſuperbia, petendo ueniam uidetur conſiteri peccata, cum tamem

ſe purgari

se purgari desiderat; saepius ad orationem recurrat. Conuenienter autem debita peccata dicuntur, quia & debentur, & requirenda sunt, nam sicut debitum a creditore requiritur, ita peccatum a Deo in die iudicij necesse est exigatur, nisi hic, dum uiuimus, per pietatem eius indulgẽtiae ista nobis exactio condonetur. Et merito hic, ut remittat cuncta rogamus, ubi delicta committimus, quando in futuro sicut peccare non licet, ita non uacat poeniteri. Sed addendo, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, qui pium ostendit, & legem imposuit, ut nisi quis peccati culpas indulserit, sibi indulgeri a domino non spectet propter illud, In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Item Misericordiam, & iudicium cantabo tibi, quoniam qui nobis pius est, uult nos alijs esse miserantes. Vnde merito de culpa uapulat, qui magistri uerba declinat. Sũma est eleemosyna alteri remittere, quod in te uideatur peccasse. Item, dimitte nobis debitum. Quid? ergo de Baptismi fonte surgentes, & corpore Christi communicantes, mox nobis dimitti * peccata? Sed fragilitas nostra conseruare puritatem lauacri non ualet de fonte perceptam, nisi dignetur Dei gratia custodire. Et bene sicut nos dimittimus

Peccata cur debita

Matth. Marc. 4

Psal. 10

Forte petimus

mus debitoribus nostris, ut ostẽderetur quia Deus pacis cum omnibus uult nos concordes. Ne nos inducas in tentationem. Numquid Deus in laqueo tẽptationis inducit, aut ab inimico cupiat supplantari, qui monet, ne incidatur?

Huc usq; puetustũ manu scriptũ exemplar, reliqua desiderãtur, pro quibus ex beato August. cuius doctrinae imitatorem se Venantius profitetur, addidimus quae sequuntur.

Serm. Dñi in Mont. lib. 2. c. 14 Epist. ad Probam. quae est 121. cap. 11.

Absit; non enim per se ipsum inducit Deus in tentationem, sed induci patitur eum, quẽ suo auxilio deseruerit. Cum ergo dicimus, Et ne nos inducas &c. nos admonemur hoc petere, ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi uel consentiamus decepti, uel cedamus afflicti.

Sed libera nos a malo. Amen.

Serm. Dñi in Mont. lib. 2. cap. sup.

Orandum est non solum, ut non inducamur in malũ, quo caremus, sed ab illo etiam liberemur, in quod iam inducti sumus. Et hoc ultimum, quod in oratione positum est, tam late patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrimas fundat, hinc exordiatur, in hoc terminet orationem, propter quod subiungitur. Amen, quo desiderium orantis exprimitur.

VENANTII. HONORII CLEMENTIANI. FORTVNATI. PRESBYTERI

Expositio Symbuli.

SVMMAM totius fidei catholicae recensentes, in qua integritas credulitatis ostenditur, & vnius Dei omnipotentis idest sanctae Trinitatis aequalitas declaratur, & mysterium incarnationis filij Dei, qui pro salute humani generis à patre de caelo descendens de Virgine nasci dignatus est, quo ordine vel quando pertulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa caelos ascendens ad dexteram patris consederit, iudexque venturus sit, qualiter remissionem peccatorum sacro baptismate renatis contulerit, & resurrectionem humani generis in eadem carne in uitam aeternam futura sit, quia multa in symbulo paucis uerbis complexa sunt, mediocriter nobis sermo temperandus est, ne aut breuiter * dicendo non

Quae in Symbulo

* Forte dicenda

aperiant

Auctores Symbuli aperiant intellectum, aut prolixitate uerbi generetur fastidium. Itaque resurgente Christo, & ascendente in caelos, misso sancto Spiritu conlata apostulis scientia linguarum, adhuc in vno positi hoc inter se symbulum vnusquisque quod sensit dicendo cõdiderunt, ut discedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes aequaliter praedicarent. denique Symbulum graece conlatio dicitur, quia hoc inter se per sanctum Spiritum salubriter condiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc qui recte crediderit, indicetur. Ergo cunctis credẽtibus, quae continentur in Symbulo, salus & animarũ & uita perpetua bonis actibus praeparatur.

Symbulũ Quid.

Credo in deum patrem omnipotentem.

Praeclarum in primordio ponitur fidelis testimonij fundamentum, quia saluus esse poterit, qui recte de salute crediderit apostulo praedicãte, Credere oportet accedentem ad dominũ. Item, Corde creditur ad iustitiem, & Credidi propter quod locutus sum. vel illud, Iustus ex fide uiuit, &, Nisi credideritis non intellegetis. Ergo uel in rebus humanis nullum opus incipitur, nisi labor omnis ad effectum

Heb. 11. Rom. 10. Psal. 115. Abac. 2. Esa. 6.

effectum uenire credatur. unde credendum est in Deum, a quo tam praesens uita, quam futura tribuitur. Deus autem appellatio est substantiae sempiternae, siue timoris diuini. Igitur Deus est in principio sine fine, simplex, incorporeus, incomprehensibilis. Patrem autem cum audis, agnosce quod habeat filium ueraciter genitum, quo modo possessor dicitur qui aliquid possidet, & dominus qui cui dominetur. Deus ergo pater, secreti sacramenti uocabulum est, cuius uere filius est uerbum & caracter, & imago uiuens patris uiuentis, in omnibus patri similis, eiusdē naturae, & in diuinitate genitus, genitori per omnia coaequalis. Nec quaeratur quomodo genuit filium; quod & Angeli nesciunt, prophetis est incognitum, unde illud dictū est, Generationē eius quis enarrabit? Quam secretam originem cum proprio filio nouit ipse solus qui genuit. Esai. 13. Nec a nobis Deus discutiendus est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, quomodo sapientia, ingeniū, aut intellectus, consilium, aut mens nostra generat uerbum: sed breuiter dicamus, sufficit nos scire quia lux genuit splēdorem, prophe ta testante, In splendori bus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Et illud, Hic psal. 109.

Deus

Abac. 3. Deus noster, & non reputabitur alter ad eum,& post in terris visus est, & inter homines conuersatus est. Omnipotens uero dicitur, eo quod omnia possit, & omnia * obtinet potentatum, quia pater omnia creauit per filium,

Forte omnium.

Et in Iesum Christum.

Iesus hebraice saluator dicitur. Hoc non indigne conuenit principi, qui populo se sequenti possit salutem tribuere, cuius figurã Iesum naue gerentem populum de deserto in terram repromissionis certum est induxisse. Et iste de tenebris & terra ignorantiae se sequentes ad caelos ducit. Christus dicitur a crismatis unctione, & hoc nomen pontificale est vel regale, quoniam Reges unguebantur oleo corruptionis : hic autem a Spiritu sancto oleo exultationis diuinitus vnctus est, propheta dicente, Spiritus sanctus

Esai. 61. super me, propterea quod unxit me. Iesus ergo dicitur, eo quod saluet populum. Christus quod sit unctus pontifex in aeternum.

Filium eius vnicum dominum nostrum.

Ideo ut nihil in hoc intellegas terrenum siue corporeum, ubi de uno est vnus, de luce splendor,

ſplendor, de corde uerbum, de mente ſenſus, de forte virtus, de ſapientia ſapiens, de aeterno natus eſt coaeternus. Per omnia idẽ quod pater hoc filius. Nam unicus, ideo quia nec comparationem recipit cum reliquis creaturis, nec ſimilitudinem, quia rerũ omniũ ſummus ipſe creator eſt: homines autẽ filij dei vocãtur per gratiam, ille ſolus filius genitus per naturã. Huc uſque de diuinitate patris atque filij textus ordo ſecutus eſt.

Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto; natus ex Maria Virgine.

Ille qui de patre ante ſecula natus eſt, poſtea de Spiritu ſancto eius templũ in Virgine fabricatum intellegẽdũ eſt. Nam ſicut in ſanctificatione ſpiritus nulla fragilitas extitit, ſic nec in partu eiuſdem cauſa corruptionis apparuit. Qui in caelis vnus, in terris vnicus, per portã virginis ingredi mũdũ dignatus eſt. Hinc plurima prophetae de Virginis cõceptu, & de partu locuti ſunt, unum tamen exemplum pro breuitate proponemus, de quo Exechiel dicit. Porta quae reſpicit ad orientẽ clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſit per eam, quoniã dominus deus Iſrael ipſe trãſibit per eam, & clauſa erit. Hoc tamẽ notandũ eſt, quia ſpiritus ſanctus eſt domi- Figura. Cap. 44.

 nicae

nicae carnis creator, Spiritus sancti hinc maiestas ostenditur. Quod uero Deus maiestatis de Maria in carne natus est, non est sordidatus de Virgine nascendo, qui nō fuit pollutus hominem condens de puluere. Denique sol aut ignis, si lutum inspiciat, quod tagerit perpurgat, & se tamen non inquinat. Nec fuit deo iniuriae causa misericordiae, neq; sit incredibile, quod est ipse natus de Virgine, qui Adam de puluere, & primam mulierem potuit de costa formare.

Simile.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus.

Hinc multa prophetae, qualiter confixus in cruce foratis pedib⁹, aceto vel felle aut vino myrrhato potatus, spinis coronatus, lancea percussus, super uestem eius sorte missa, & in conspectu populi maligni manibus extēsis in die pependerit, praedixerūt, vt diligens lector inueniet. Tamē ut breuiter dicatur, in cruce suspēsus est, vt nos a damnatione ligni uetusti dissolueret. felle uero potatur, ut amaritudinem praeuaricati pomi & nimis acidi amputaret. spinis coronatur, ut maledictae terrae uetustum crimen erueret. lancea percutitur ut per plagam lateris aqua fluente & sanguine, baptismum, & mysterium martyrij

Christus cur in cruce suspensus &c.

promul-

promulgaret. Et ut dicatur aliquid altius, in costa Christus percutitur ut uulnus nobis infixum per Euā, quae de costa uiti formata fuerat, amputaret. Vt tamen adhuc intellegendum aliquantulum extendamur, sicut dicit scriptura, Cordis oculi aperti sunt ad intellegendum quid sit altitudo, longitudo & profundum. quod est crucis significatio, Quare dominus in patibulo se pati elegerit quaeritur, haec ratio redditur. Crux species est trophaei, quod deuictis hostibus solet fieri. triumphus est, quia dominus tria regna subiecit. suspēsus in aere, uictoriam de caelestibus, & spiritualibus nequitiis est adeptus, expandens autem manus ad populos, palmā de terrenis. quod uero sub terra crux fixa est, ostendit eum & tartarū triumphare. Et quia de alijs breuitatis causa praeterimus plurima, ne generemus fastidium, si pro honore sanctae crucis nobis hic sermo distēditur, ut nobis aedificatio, & illi crescat praeconium. Ergo quia nec ipsa sidera in conspectu dei pro humano crimine erant pura, & erat tota terra polluta, ideo suspensus est Christus in aere, ut simul terras, & astra purgaret. aut qa ipse dixerat, Sicut Moyses exaltauit serpētē in deserto & cetera. Ideo crucifixus suspēditur, ut adimplerentur verba, quae creator

Ephes.

Crucis Triumphus.

Iob. 25

Iohan. 3

F 2 prae-

praedixerat: aut quia inter caelum & terram grandis erat discordia, ut tolleret reconciliator, se mediante, scandalum. In aere suspenditur, ut se in medio posito, inter caelum & terram, inter hominem & deum pax rediret post odium: aut ideo, quia ante grauis latro in cruce configebatur. Ergo ad hoc elegit Christus principale supplicium, ut hominis absolueret originale peccatum, quod erat principale tormentum. Aut ideo Deus in cruce suspenditur, ut prô captiuitate nostra pretium sui corporis mercator in statera pensaret. Aut ideo crucifigitur, quia mortui eramus per pomum & arborem, ut denuo crux & Christus, idest arbor & pomum, per ipsam similitudinem nos a morte liberaret pomum dulce cum arbore. Sub Pontio Pilato. bene hoc est additum, ut iudice cum tempore designato, non esse uideretur incertum. Sub Herode etiam Rege, qui eo tempore tetrarcha erat, ad quem Pilatus misit dominũ uinctum, & per hoc inter iudices pax peruenit post odiũ: & legatus dominus pax inter partes extitit, & iudices a liuore dissoluit.

Descendit ad inferos.

Psal. 87. Hinc prophetae plura dixerunt. Vnde est illud dictum. Vita mea in inferno appropiauit

& factu,

& factus sum inter mortuos liber. Et illud, Tu es qui uenturus est? quod lector requirens inueniet. Sed descendens ad infernum, iniuriam non pertulit quod facit causa clementiae, uelut rex intrans carcerem, nō ut ipse teneretur, sed ut noxij soluerentur. Luc. 7. Simile.

Tertia die resurrexit a mortuis.

De resurrectione eiusdem prophetae plura locuti sunt, quod & Ionas ipse triduo in uentre ceti permanens designauit. Figura.

Ascendens ad caelos, sedet ad dexteram patris.

Hoc psalmigraphus, propheta & apostulus meminit, unde illud dictum. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, Ergo post passionem dominus caelos ascendit, nō vbi erat Deus uerbum qui semper in caelis est, sed ubi adhuc uerbum caro factum non sederat. Vnde uidentes Angeli carnis naturam caelos intrare, stupuerunt dicētes. Quis est iste rex gloriae? Nam & ipsum sedere mysterium est carnis assumptae, & prouectū sedis nō diuina sed humana natura requirit. Inde & hoc dictum, Parata sedes tua domine. Et, Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et illud, Amodo uidebitis filium Psal. 67. Ephes. 4. Psal. 23. Psal. 52. Psal. 109 Matth. 2 Marc 14

um hominis sedentem a dextris uirtutis.

Inde venturus est iudicare uiuos & mortuos.

Aliqui dicũt uiuos iustos, mortuos iniustos, aut certe uiuos quos in corpore inuenerit aduentus dominicus, & mortuos iam sepultos, nos tamen intellegamus uiuos & mortuos, animas & corpora pariter iudicandas. Nam & de aduentu domini Malachias ait.
Cap 7. Ecce, venit dominus omnipotẽs. Et Daniel, Ecce in nubibus caeli quasi filium hominis.
Matth. 24 Et illud, Sicut fulgur ab oriente, ita erit aduẽtus filij hominis.

Credo in spiritum sanctum, & sanctam ecclesiam.

In huius commemoratione mysteriũ trinitatis impletur, vnus pater, vnus filius, vnus spiritus sanctus. vt fiat distrinctio personarũ, uocabula cernuntur esse. pater ex quo omnia, & qui non habet patrem, filius ex patre genitus, spiritus sanctus de dei ore procedens, & cuncta significans. Ergo vna diuinitas in trinitate, quia dixit symbulum, Credo in deum patrem, & in Iesum Christum, & in spiritum sanctum. Nam nõ dicitur in sanctam

ctam ecclesiam, nec dicitur in remissionem peccatorum, sed remissionem peccatorũ credit sancta ecclesia. Sancta, quia una est ecclesia sine ruga, sicut vna fides, vnum baptisma, in qua vnus deus, vnus dominus, vnus spiritus sanctus creditur, de qua in Canticis legitur, Vna est columba mea. Nam haeretici congregant ecclesiam, vbi ruga, & perfidiae macula comprobatur. Cant. 6

Remissionem peccatorum.

Nobis in hoc sermone sola credulitas sufficit, nec ratio requiritur; vbi principalis indulgentia comprobatur: ipse rex terrenus a nullo discitur si quodcunque largitur. Nam ille qui potuit de luto hominẽ formare, idẽ potens est etiam lutulentum purgare: & ualet innocentiam perditam restituere, qui sepultos & membra perdita reuocat ad salutẽ. Simile. Io. 11.

Carnis resurrectionem.

Summa perfectionis concluditur, & caro ipsa quae cadit, resurrectura erit inmortalis ut maneat. Licet resurrectio a paganis, & quibusdam haereticis non credatur, tamen Esaias dicit, Surgent mortui, & suscitabuntur. Et Daniel ait. Resurgent tunc, qui sunt in terrae puluere. Christus dicit, Quod autem Cap. 26 Cap. 12

Matth. 21 Marc. 12. Luc. 20. ad corint. 15. resurgent mortui, non legistis, Et non deus mortuorum, sed uiuentium? Item apostulus dicit. Tu quod seminas non uiuificatur nisi prius moriatur. Et dicit scriptura, Post resurrectionem erunt sicut angeli dei. Ergo nec
Marc. 12. hoc credentibus inpossibile iudicetur, quia qui potuit hominem de terra componere, poterit hunc ex homine in angelū transformare, & post hanc uitam temporalem, uitā aeternam tribuere. Ergo moritur homo quasi granum in sulco, ut resurgat cum spico, &
Simile. multiplicetur fructu, adsimiletur & angelo. Quod ipse salutis auctor nobis tribuere dignetur, qui triumphato tartaro, cum patre, & sancto spiritu glorioso principatu intrans uictor regnat in caelo.

1580.